

Num ganglia abdominalia inflammata sin aut mutata in typho, quem dicunt, abdominali : dissertatio inauguralis pathologica ... / auctor Michael Guil. Hubertus Rey.

Contributors

Rey, Hubert.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1838.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ajgcfcrh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





UM GANGLIA ABDOMINALIA
INFLAMMATA SINT AUT MU-
ATA IN TYPHO, QUEM DI-
CUNT, ABDOMINALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSTI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

MICHAEL GUIL. HUBERTUS REY

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

ANT. PAPPERT, MED. ET CHIR. CAND.

JOS. RODERBURG, MED. ET CHIR. CAND.

AD. PFEFFER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

✓

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

1910

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1910

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1910

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1910

LIBRARY

1910

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1910

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

VIRO ILLUSTRISSIMO

F R I D E R I C O N A S S E,

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO
INTIMO, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, DIRECTORI CLINICI
MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITT. COMPL. SODALI, EQUITI
ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

UNIVERSITY OF TORONTO

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

AND THE UNIVERSITY OF TORONTO PRESS
PRINTED AND BOUND BY THE UNIVERSITY OF TORONTO PRESS
TORONTO, CANADA

NEC NON

UNIVERSITY OF TORONTO PRESS

VIRO EXPERIENTISSIMO

JOANNI HENRICO REY,

**MED. ET CHIRURG. DOCTORI, QUONDAM REBUS MEDICIS CIR-
CULI HEINSBERGENSIS PUBLICE PRAEFECTO ETC.**

COGNATO AESTUMATISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

PROLEGOMENA.

Melancholiae et maniae sedes unanimi fere medicorum consensu in imis visceribus latet. Quae olim obstructio- nibus viscerum adscribebantur, potissimum lienis atque infarctibus vasorum, ea hodie maiore jure ad nervorum mutantam indolem referuntur. Nec vapores adscendunt ad caput, nec atra bilis movetur in istis morbis, sed flexus solaris, seu cerebrum abdominale, ita reagit in cerebrum cephalicum, ut ejus temperies plane mutetur: «Robstein »de nervi sympathetici hominum fabrica, essu et morbis. Parisiis 1823. pag. 120.« ita loquitur, tamquam nullus dubitationi locus sit relictus, idemque recentiores velut certum saepius contendere solent. Neque multum abhorrere videtur, quod de his affectionibus neque ac de hypochondriae atque hysteriae origine sentiunt Bichat (1) et Reil (2). Qua ratione recentiores majore jure hypochondriam, hysteria, melancholiam, pydrophobiam multasque alias affectiones ad intemperiem systematis gangliorum referant, quibus observationibus nitantur, quum tam saepe de irritatione, aut tor-

(1) Allgem. Anatomie, übersetzt von Pfaff, Bd. I, S. 307.

(2) Archiv für Physiologie, Bd. 7, S. 246.

pore, aut inflammatione gangliorum abdominalium, aut de aliis affectionibus nervi sympathici, plexus solaris et loquantur et litteris mandent, equidem, ut dicam, quod sentio, intelligere non possum; frustra enim observationes circumspexi, quae eis auctoritatem, ita judicandam tribuere possint; nisi quis fortasse hanc observationem a Dr. Hertwig (1) nobis communicatam mihi obiiciat quippe qui, mutationes singulorum organorum enumerans, ita pergit: cor atque vasa majora absque ulla alienatione; neque minus nervos vagum, sympathicum et phrenicum in plurimis casibus inveni, etenim bis tantummodo vagum atque sympathicum passim aliquantum rubros vidi.

Physiologia nervi sympathici quam densis occultat atque circumfusa tenebris latet! quam variae sunt de certissimorum hominum, quamque discrepantes sententiae de ejus functione ac ratione. Placuit observatoribus iisque optimis clarissimisque physiologiae cultoribus nervum sympathicum, cujus vim vitalem explorare experimentis submittere physiologicis, circa viva animalia institutis. At quam exiguo emolumento experimenta cum diligentia atque dexteritate instituta fuerint ad consequendam majorem perspicuitatem, e vario eventu facile cognoscitur. Sufficiat hoc loco mentionem facere variarum sententiarum de vi, quam exercent irritamenta gangliis admota, quas perhibent Florens (2) et

(1) Beiträge zur näheren Kenntniss der Wuthkrankheit etc. im Journ. d. prakt. Heilk. v. Hufel, u. Osann, Jahrg. 1826 Suppl. - Heft S. 55.

(2) Recherches expérimentales sur les propriétés et les fonctions du système nerveux, pag. 204.

Mayer, qui irritatis ramis plexus solaris magnam sensibilitatem vehementisque doloris signa viderunt; sententiam autem plane contrariam amplectuntur Bichat (1), Reil (2) — Dupuy (3) — Wutzer (4) — v. Pommer (5) — Blainville (6) — Magendie (7), — quorum quisque ea, quae tradit, experimentis probare studet. Commemorabo tantum varios eventus experimentorum, e quibus appareat, utrum cordis vis pendeat a medulla spinali, an gangliis abdominalibus, quae instituerunt Wilson Philip (8) et Le Gallois (9), quocum consentiunt Nasse (10) et Brachet (11); denique varias opiniones de partibus, quibus fungantur ganglia in secretenda urina, quas experimentis suffultas in medium protulerunt Brachet (12) et Krimer (13). Et ipse experimenta sum periclitatus ad illustrandas varias illas quaestiones, de quibus nobis erit disserendum; sed summa licet providentia adhibita, nihil deprehendi quod

(1) l. c. Bd. I. pag. 305.

(2) l. c. Bd. VII. pag. 230.

(3) Bulletin de la société d'émulation 1816. Nro. XII.

(4) de corporis humani gangliorum fabrica atque usu. Berol. 1817. pag. 126.

(5) Beiträge zur Natur- u. Heilkunde Bd. I. S. 14, 17, 25, 27. 28.

(6) Cours de Physiologie générale et comparée Bd. II. S. 294.

(7) Physiologie, übersetzt v. Heusinger, Bd. I. S. 149.

(8) experimentales inquiries edit. 2. pag. 70.

(9) Experiences sur le principe de la vie p. 55. 117. 127.

(10) Untersuchungen zur Physiologie und Pathologie Heft 2. S. 280.

(11) recherches expérimentales sur les fonctions du système ganglionnaire pag. 122. 125.

(12) l. c. pag. 270.

(13) Untersuchungen S. 26.

res quaesitas confirmare potuerit. Lubens interea concedo, me non eandem in experimentis physiologicis assecutum esse dexteritatem, quam in praecclaris viris admiramur, ingenueque fateor, me eorum observationibus majorem fidem tribuere, quam meis ipsius. — In quemadmodum fere omnibus aetatibus literarum erroris, ut deficientibus certis observationibus loco earum opiniones apponerentur, sic etiam de nervo sympathico diversissimae opiniones in vulgus sunt editae, quibus omnibus recensendis, quum nec tempus patiatur nec locus, supersedeo, praesertim quum nondum eam assecutus sim facultatem, ut certi aliquid ausim hac de re affirmare.

Jam vero ganglia abdominalia rem esse maxime momenti, neque eo confirmatur, quod in cadaveribus mutata sunt inventa, quamquam in aegrotis, dum vixerunt, nullum symptoma est observatum, ex quo cum probabilitate, ganglia fuisse affecta, conici possit; neque recentiori aetate, qua plurimi magnam operam atque studium anatomiae pathologicae navarunt, plexum solarium diligentissime perscrutari omiserunt, ut cognitionem morborum nervi sympathici clariorem magisque perspicuam redderent; quod quidem praesertim ex eo tempore fecerunt, quo Bichat eum mutatum invenit. Permulta illi nobis observationes attulerunt, quibus ganglia mutata sint inventa, at symptomata, ad ganglia referenda aut nulla sunt observata, aut non sufficientia ad stabilendam firmam certamque cognitionem. Haud alienum a re atque operae pretium mihi esse videtur, quum nostra aetate de ganglio semilunari ejusque affectionibus copiosius disputari soleat quam verius, idque tam saepe

orborum sedes habeatur, observationes huc usque no-
 s relatas, quantum fieri potest, colligere atque his
 comparatis quaerere, utrum re vera extent symptomata
 ejus affectiones referenda, nec ne. Sed quum hoc
 tempore inflammatio nervi sympathici a multis iisque
 doctissimis atque illustrissimis viris causa typhi abdo-
 minalis, quem dicunt, habeatur, hoc potissimum in parte
 cetera accuratius indagare in animo est, num haec sym-
 ptomata, ad inflammationem nervi sympathici referenda,
 congruant cum istis, quae in typho observabantur, ita,
 nobis sententiam illam pro certo habendi auctoritas
 detur. Neque hoc mihi parvi momenti in factitanda medi-
 cina esse videtur: multum enim ad medendi rationem ingre-
 dendam interesse, num quis putet, nervum sympathi-
 cum, an aliud quoddam organon esse affectum, quis ar-
 gumentis medicae gnarus hocce negabit? Et si id mihi conti-
 neat, quod fore spero, ut animum nonnullorum, qui hunc
 doctorem, qui legatur, dignum judicent, depellam ab af-
 fectione nervi sympathici ad organa alia accuratius ex-
 aminanda, aliquam humano generi utilitatem attulisse
 mihi videbor; id quidem spero eo magis me esse asse-
 ratum, quod luculenter ex observationibus collatis
 apparebit, praeter ganglia fere semper alia organa la-
 borasse, quae facilius mortem adducere potuerint. Quod
 eundem argumentum inaugurale quum sat arduum sit,
 quos hujus commentationis iudices propter thematis
 difficultatem mihi non defuturos spero. Commentatio-
 nem igitur lecturos rogatos velim, ut, tironem fuisse
 auctorem, meditentur.

Jam nil restat, nisi ut praeceptoribus summe vene-
 randis cl. Professoribus Fr. Nasse et Albers pro

summa erga me benevolentia, liberalitate atque humanitate, qua me tum consilio tum libris large suppeditis semper adiuverunt, maximas, quas possum, gratias agam; neque minus gaudeo, me hic invenisse, summi gratias publice eis habendi, occasionem.

SECTIO PRIMA.

Primum observationes de gangliis mutatis, quae cadaveribus repertae nobiscum communicatae sint, cogere in animo est. Tantum autem abest, ut certam illarum affectionum diagnosin statuere velim, ut ne in inversum quidem, ganglia morbose esse affecta, dignoscere possim. Diagnosin autem haec infirma atque incerta spem mihi praebet, fore ut postea non tam saepe morbis gangliorum et loquamur et scribamus, donec plures atque accuratiores observationes meliorem intelligentiam functionum atque rationum nervi sympathici nobis praebuerint.

De irritatione gangliorum, quum iam supra tractatus sim, statim ad alias affectiones transgrediar.

Sensilitatis adauctae nervi sympathici casus duo non sunt relati, quorum unum **Ruer** (1), alterum **Larrey** esse vidisse putant. Unus amplectitur historiam puellae maniam, quae typum intermittentem exhibebat, perpe-

(1) Uebersicht über die in der Irrenanstalt zu Mansberg behandelten Kranken im Jahre 1819, in Nasse's Zeitschr. f. psych. Aerzte. 1820. 4s. Heft.

(2) Larrey in Leroux's Journal de Médecine Tom. 2. S. 456 — 58.

causa verminosa. Puer iste summam sensilitatem rennis epigastricae prae se tulit ita, ut levissimus tactus a extremis digitis tum ferro adhibito ei dolores atque breves repentinosque motus excitaret. Cum autem illo illa manus palma vehementer premebatur, sensilitas evanescibat et dolores mitescebant. Alter historiam narrat vulneris abdominalis, quod Massiliae miles cum hoste decertans ictu tulit, neque, regionem si spectas, truncum solarem, aut ejus ramos simul esse affectos, neque scire potuit. Hypochondria aliique casus spastici, quibus motus certo tempore recurrentibus erat obnoxius, quibus, cum specillum in vulneris canalem introducebatur, non adduci potuerunt, sensilitatem illorum adauctam ei inire videbantur. Cadaveris investigatio nullas illorum laesiones ostendit.

Sensilitas imminuta nervorum abdominalium in cretinismo cum nutritionis affectionibus videtur conjuncta; maximum si cretinorum evolutionem maxime laesam esse deficientes appetitus animales, in pluribus observatos, meditaris. Hic status torpidus iam in scrophulosis a dicta atonica indicatus esse videtur, quamvis huic aetio gangliorum major respondere non videatur.

Inflammationem gangliorum, auctore Meckelio (1) prius observavit ejusque mentionem fecit a Sallin, qui in homine hydrophobia mortuo nervorum cervicalium ganglia inflammata invenit. Descriptionem ejus longam nobiscum communicat Sachs (2), qui

(1) Meckel diss. inaug. de locis in hydrophobia affectis. Halle, 1795. p. 38.

(2) Sachs, natürliches System der Medizin. Königsberg. 1802. Bd. I.

febrem ardentem, Hemitritaeum etc. veterum medicorum illuc refert. Secundum observationes hucusque de inflammatione nervi sympathici nobis traditas duplex ejus genus distinguere possumus, cujus alterum nervis proprium, alterum ab eo differens cum ipsis tantum detur communicatum ex partium vicinarum phlogosi: hoc casu enim rubor nervorum minus est intensus, et si in aqua infusa aqua disparet.

Observavit Giehl (1) in peritonaeitide vehementissima plexum coeliacum atque hepaticum inflammatum. Vir quadraginta quinque annorum constitutione robustus enteritide correptus et remediis adhibitis sanatus est. Verum in convalescentia refrigerium peressus peritonaeitide acutissima irretiebatur. Tertio die omnibus remediis cassum adhibitis fato obiit. Cadaveris lustratio triginta horis post obitum instituta, cerebrum pectorisque organa in statu naturali, peritoneum totum usque ad hypochondria retibus vasculosis obductum et membranae mucosae ulcuscula, vel potius erosiones in ilei parte inferiori ostendit. Plexus hepaticus et maxime coeliacus lacte ruber, vasculorum perspicuorum copia circumvolvabatur. In gangliorum substantiam penetrantia vascula non potuerunt cerni, quamquam substantia solito magis rubebat. Ganglia ipsa fuere aliquanto tumida et crassiora.

Lobstein in pleuritide sat violenta ganglion thoracicum primum deprehendit in superficie rubra eleganter reti vasculoso pictum. Idem, quum pars intestini jejunii in sacco hernioso contenta atque incarcerata

(3) Fr. Xav. Giehl diss. sistens fragmenta pathologica Neurogangliis. Monach. 1829, p. 30 et 31.

ostenderet inflammationem profundissimam, nervulos intestinales magis rubellos et succulentos et quadam peluciditate praeditos reperit (1).

Alium adhuc casum enarrat Gielt, in quo proponi potest quaestio, utrum phlogosis a gangliis, an a membrana intestini serosa processerit. »Auriga quinquaginta annorum, corpore toroso, fere semper sanus, sub divo mensis Octobris pluviali tempore dormiens refrigerationem perpessus est. Subito doloribus constringentibus scindentibusque circa umbilicum, vertigine, vomitu et diarrhoea, dein frigore, calore sitique inexplebili est correptus. Phaenomenis aliquanto remittentibus, die morbi secundo ad nosocomium est delatus. Facies pallida, orbitae concavae, respiratio difficilis, abdomen retractum in scrobiculo cordis et regione umbilicali fuere tales, ac si pro aegri sensu intestina conglomerantur: tactu praecordiorum et regionis umbilicalis dolores augebantur, spasmi surarum vehementissimi, vomitiones continuae, fluidi flaviusculi serosi vomitio, diarrhoea mucosa, rara, urinae fere nullae, cutis sicca frigidiuscula, pulsus parvus. Ista symptomata modo remisere, modo increvere usque ad mortem. Cavere dissecto plexus coeliacus, hepaticus et splenicus colorem e rubro subnigrum exhibuere, ipsique nervi excurrentes reti vasculoso obvoluti fuerunt. Aortae superficies, qua plexus solaris situs est, penitus inflammata. Ganglia tumida incisa substantiam intense rubram, sed nulla vascula perspicua obtulere, atque in-

(1) Lobstein de nervi sympathetici hominum fabrica, usu et morbis. Parisiis 1828. §. 150.

fusionem bidui in aqua et duodecim horarum in alcohole parum palluere!« (1)

Alterius autem inflammationis generis, nervis ipsis proprii, observationes aequae in duas partes sunt dividendae: in tales videlicet, in quibus truncus nervi sympathici versus columnam vertebralem utroque in latere descendens, et in quibus ganglia abdominalia inflammata sunt inventa. Verisimillimum enim est, varia ac diversa symptomata, prout haec illave pars sit inflammata, nobis esse obventura, quamquam exempla huc usque observata ad inflammationis nervi sympathici in universum statuendam diagnosin vix sufficiunt, nedum ad cognitionem variarum partium. Eo ut perveniamus in arte nostra, innumeris adhuc observationibus opus est.

Lobstein in cadavere pueri decem annorum, percusso exanthemate sub anxiiis pectoris oppressionibus atque epigastrii intumescencia mortui, locum invenit in trunco nervi intercostalis sinistri inter octavam et decimam costam alte inflammatum cum phlogosi ganglii thoracici noni ac decimi et duorum ramulorum anastomoticorum e nervis costalibus emissorum; quae bene depingi curavit tabula nona lit. e. operis iam supra laudati. At, in quo constiterit, quibus symptomatis sese ostenderit status iste inflammatorius, eum non dixisse, valde lugeo. (2)

Idem historiam enarrat puellae decem annorum, quae paralysi crurum per sat longum tempus correpta per tres menses diarrhoea laborabat cum torminibus et tenesmo nulli artis adminiculo cedentibus. Sectione ca-

(1) op. cit. §. 34.

(2) loc. cit. §. 143 et 185.

aaveris instituta nil reperit in tractu intestinorum, sed
 abscessus aderat insignis, a sexta ad decimam vertebram
 dorsalem in latere sinistro extensus. Applicitus erat
 isti nervus splanchnicus major, quod ad structuram non
 mutatus. Ganglia semilunaria erant sana et omnes ner-
 vorum rami e plēxu solari exeuntes nullam ostendebant
 mutationem. Aperto abscessu, cariem deprehendit, qua
 corpora vertebrae sextae et septimae erant exesa, illaesis
 quidem cartilaginibus intervertebralibus et spinalis me-
 dullae velamentis. Truncus nervi sympathici sinistri a
 sexta ad duodecimam vertebram plane erat destructus
 et pars lumbalis ejusdem nervi inflammata. Medulla
 spinalis loco carioso respondens per sedecim linearum
 spatium albidior videbatur et atrophica. Eidem nervi
 cardiaci admodum elongati et magis rubri apparebant
 in casu quodam, ubi immanis affuerat dolor in pectore
 urens, quem nulli alii causae, nisi distentioni et con-
 stitioni eorum inflammatoriae adscribere potuit. Nil
 nim praeternaturale aderat in reliquis organis, nec in
 nervis cavitati thoracis insitis.

Inflammationis gangliorum semilunarium, ejusque,
 quantum illa statui potest, diagnosis serius mentionem
 faciam, eo nimirum loco, quo de similitudine, aut potius
 de differentia, quae exstat inter illam, et typhum, quem
 sequuntur, abdominalem, disserendum mihi erit.

Affectiones chronicae nervi sympathici partim inflam-
 matione praegressa, partim sine causa inflammatoria
 fieri videntur; saepius enim cum inflammatione, aut
 potius cum rubore ejus conjunctae inveniuntur. Quum
 tamen illarum tam rarae apud scriptores occurrant ob-
 servationes, et hae sint valde imperfectae, ita ut quod

ad diagnosin nil inde concludere liceat, singulas observationes referre sufficiat.

Lobstein in corde feminae triginta unius annorum, febris hectica post pulmonum infarctum exstinctae, nervum vidit cardiacum principalem dextri lateris prope basin cordis tumidum, rubellum et gangliosum, viginti duas lineas longum, duas cum dimidia latum in medio punctum exhibentem nigricans, sed a veris gangliis eo discrepantem, quod loco duritiei mollitiem ostendebat et digito contrectatus cavus esse videbatur, quod tamen non conformavit nervi dissectio ad rem illustrandam instituta (1).

Interdum in degenerationibus scirrhis non tantum symptomata varia, affectionibus nervorum producta, sed etiam mutatio eorum, ut dicunt, materialis observata est. Casum ejusmodi refert Gielt (2): vir quadraginta quinque annorum, per decem annos, intervallis brevibus exceptis gonorrhoeae syphiliticae obnoxius, plagam praecordiorum tulerat, unde pylori scirrhus est evolutus. Aegrotus quinque annis post exstinctus est. In cadavere pylori scirrhum cum ventriculi dilatatione secundaria, jecur ravam, parvum, venas abdominales valde dilatatas, lienem et intestina in statu normali invenit. Tela cellulosa plexum solarem et hepaticum investiens sero erat infiltrata. Ganglia ipsa monstrabant colorem fuscum, rubrum et reti vasculoso obiecta erant. Ganglion semilunare molle, permagnum, compressum, fere maceratum et nervos cum arteria coeliaca connexos sesqui crassiores observavit. Haec mutatio gangliorum

(1) l. c. §. 149.

(2) op. laud. §. 39.

in scirrhis ventriculi observata mutationi eorum in tuberculis abdominalibus et scrophulosis est opposita, in qua ganglia duriora, magis rotunda et alba cernuntur.

In cadavere puellae, quae morbo tuberculoso universali videlicet tuberculis cerebri, pulmonum, praepriis peritonaei, erat mortua, Giehl ganglia plexus solaris dura, aliquanto majora, fere globosa et albida vidit, quibuscum plures glandulae lymphaticae parvae adeo coaluerant, ut pro gangliorum ipsorum excrescentiis haberi possent. Eandem mutationem invenit in juvene scrophuloso, qui pulmonum tuberculis perierat, sed filamenta tendinosa gangliis conjunxerunt glandulas magnitudine nucis avellanae lymphaticas (1).

Persaepe mutationes gangliorum in cadaveribus eorum, qui mente erant capti et potissimum maniacorum, sunt repertae, ita ut ganglia hisce morbis affici videantur; id, quod jam adnotavit Isenflamm, qui in maniaci cadavere structuram plexus solaris admodum mutatam invenit (2).

Duos alios indurationis gangliorum casus Autenrieth observavit, qui in cadavere juvenis multos per annos mente capti vigesimo aetatis anno emortui ganglion semilunare quasi induratum, eoque aortam abdominalem tantopere compressam invenit, ut supra hunc aortae antrum mirum in modum dilatata infra coarctata esset. Alter casus respicit virum, quem media aetate jam contracta mania primum invasit.

Jacobi omnes cerebri atque medullae spinalis ner-

(1) l. c. §. 40.

(2) Versuch einiger prakt. Bemerkungen über die Nerven, Erlangen 1774.

vos mollissimos et potissimum albidos in cadavere idiotae cujusdam invenit; plexus nervorum abdominalium aliquantulo crassescentes ei videbantur, eorumque natura densa (1).

Ingentem systematis gangliosi evolutionem invenit Cayre in homine inde a pueritia maniae obnoxio. Ganglia thoracica et semilunaria solito crassiora, cervicalia triplo fuere majora (2).

Pinel in cadaveribus novem amentium, quibus amentia partim erat congenita, partim acquisita, nervos cerebrales et spinales fuscis, tenues, quasique minoris evolutionis, densa tela cellulosa circumvolutos, vidit; nervum sympathicum autem in statu plane contrario, ganglia prope cerebrum sita mirum in modum evoluta, potissimum supremum, quod triplo erat solito majus, aequae ac ganglia thoracica et semilunaria (3).

Romberg enarrat haecce: puella vigesimum sextum agens annum mania correpta, velut apoplectica sub lecto jacens est inventa; quo facto nonnullis diebus post diem obiit supremum. Sectione instituta, ganglia candide apparebant splendentia, eorumque rami e rubro-fusci solito duriores et crassiores, nonnulli eorum duritie cartilaginea. Plexus mesentericus superior eandem mutationem praebuit. Omnes isti nervi organici in maniaca

(1) Diss. de neuralgia coeliaca. Praes. J. H. Autenrieth auctore de Bonner, Tüb. 1811.

(2) Theses de 1824 in Belhomme's Essai sur l'idiotie. Paris 1824.

(3) Nouveau Journal de Médecine. August 1829 in Hufelands Journ. f. prakt. Heilk. V. St. Nov. 1820. p. 113.

multo crassiores fuerunt, quam in altera eodem tempore phthisi mortua (1).

Hisce observationibus adjungimus illas, quae nobis sunt communicatae de sectionibus cretinorum. J. C. Schiffner sectionem memorat duorum cretinorum, fratrum, in quibus majorem systematis nervosi partem invenit mutatam (2). In cadavere unius plurimi totius corporis nervi plus minusve nodose erant tumidi, ramus notissimum ille nervi abducentis, qui cum ramo inferiori nervi vidiani transit canalem caroticum ad constituentiam originem, quam dicunt, nervi sympathici maximi, qui, postquam sese conjunxerant, in regione primi usque ad quartum processum transversum vertebrarum cervicalium utroque in latere ita intumuerant, ut sinister magnitudinem nucis avellanae adaequaret. Idem nervus sympathicus sinister in regione vertebrae dorsalis sextae intumescitiam magnitudinis ac formae ovi gallinacei complanati ostendit, sed neque duritiem neque ossificationis initia. In casu altero aequae permulti nervi erant mutati, praecipue nervus vagus, plexus axillaris et sacralis eorumque rami; nervus sympathicus autem et splanchnicus non modo non magis, sed solito minus evoluti, imo debefacti videbantur, quibus fortasse aepsiam somniamque alacria, aegroto vivente observata, explicare licuit. Apperuit etiam Giehl cadaver cretini viginti annos nati, cui habitum cretinismi evoluti exhibens meningitide erat

(1) Untersuchung irrer Personen nach dem Tode v. Dr. Romberg in Nasse's Zeitschrift für Anthropologie, Jahrgang 23, erstes Quartalheft.

(2) Medizinische Jahrbücher des k. k. österreichischen Staats Bd. IV. St. 4. u. Bd. VI. St. 4.

mortuus. Omnes glandulae meseraicae fuere tuberculosae et admodum tumidae, ganglia plexus solaris solito majora, praecipue semilunare crassius et longius. —

Tubercula parva in nonnullis cadaveribus se deprehendisse tradit Lobstein, gangliis semilunaribus insidentia, et ope telae cellulosae brevis ipsis adhaerentia (1). Haec corpuscula invenit in plexu solari hominis colica saturnina perempti, tum in cadavere viri scirrhus ventriculi mortui, quae nil aliud nisi glandulae lymphaticae fuisse videntur.

Dr. Hasler duas refert observationes neuromatum, quae autem ad constituendam certam diagnosin nullius momenti esse possunt. In priore casu enim praeter intumescuntiam ganglii cervicalis primi similes tumores in canali spinali sunt inventi, et plurima symptomata observata ab ista medullae affectione derivari debent (2). De sectione haec apponit. In corpore gracili nec pingui extrinsecus nil erat insigne, nisi mollis tumor in dextro latere colli et in exteriori quidem laryngis superficie, qui accuratius indagatus intumescuntia ganglii cervicalis supremi dilucide apparebat, membrana serosis membranis simili circumdatus, in parte inferiori substantiam granosam, quod ad consistentiam tumoribus fibrosis similem, continebat; nervorum fila nulla apparebant; truncus nervi sympathici, nec non cerebri et medullae dorsalis nervi cum neuromate anastomosin ineuntes et ipsi tumefacti eandem structuram offerebant. Columna vertebrali dissecta, similes tumores in ejus canali sunt reperti, qui in su-

(1) Op. cit. §. 157.

(2) Diss. de neuromate von Dr. Hasler. Turici 1835, S. 10 et sqq.

prema parte medullae dorsalis jacentes, simili membrana
erant obducti; eorumque substantia aliquantulo mollior
erat, quam substantia tumoris sympathici et fibrae lon-
gitudinales per totum tumorem porrectae clare appare-
bant. Alter aegrotus sanatus adhuc vivit, et jure in du-
bium vocari posse videtur, utrum tumor in collo istius
aegroti observatus intumescencia fuerit gangliorum cer-
vicalium, nec ne.

Cruveilhier insignem gangliorum cervicalium evo-
lutionem solito majorem observavit; quo in casu non
modo ganglia, sed etiam rami nervi sympathici ea ne-
cessitates immensae erant evolutionis, substantiaque ipsa in
massam fibrosam mutata (1).

Observavit A. Duncan diabetem, in quo cystis uri-
naria valde erat dilatata, et nervus triplo vel quadruplo
crassescerat a loco inde, quo ingrediebatur abdomen us-
que ad finem suum in pelvi (2).

Lobstein nervos plexum suprarenalem constituen-
tes multo crassiores detexit in morbo, ubi renes suc-
centuriati ambo duplo majores in substantiam tubercu-
losam degeneraverant. Octo aderant rami e ganglio se-
milunari dextro emissi ad capsulam suprarenalem dex-
tram et tredecim e ganglio semilunari sinistro ad ca-
psulam hujus lateris. Omnes isti rami in superficie glan-
dularum finiebantur. Observavit hunc morbum in foe-

(1) L'anatomie pathologique du corps humain ou description
avec figures lithographiées. Des diverses alterations morbides, dont
le corps humain est susceptible. Tab. III.

(2) Reports of the practice in the clinical wards of the ro-
yal infirmary of Edinburgh during the months of Nov. and Dez.
1807 and January, May, Juni and July 1818. Edinb. 1818.

mina caelibi viginti quinque annorum, morbo miliari chronico affecta. Accidit illi, ut terrore repelleretur exanthema, unde nascebantur spasmi convulsivi, insultibus epilepticis similes, quibus tandem occubuit. Nullam aliam mutationem in cadavere istius invenit (1).

Observavit celeberrimus Bichat (2) in homine ganglion semilunare crassescens et majoris duritiei. Idem in cadavere viri mania intermittente peremti ganglion illud magnitudine nucis minoris invenit, quod in centro parvam sphaeram cartilagineam exhibuit.

Concretiones lapideas demum Lobstein deprehendit in plexu solari, eo loco, quo iste a glandula suprarenali proxime abest (3).

SECTIO ALTERA.

Jam ex longo tempore de natura typhi magnae agitabantur controversiae in litteris, quarum auctor Marcus (4) habendus est, qui primus typhum nil aliud, nisi encephalitidem esse contendit. Multae ac plane diversae de vera ejus natura sententiae deinceps in medio sunt positae, quae nobis maximo sunt documento, cognitionem naturae hujus morbi mancam esse atque imperfectam, quasque omnes hoc loco et enumerare et recensere, justos commentationis limites longius excederet. In eam tantum sententiam, cui recentiori aetate plures sunt addicti, accuratius inquirere in animo mihi est, vi-

(1) *Traité d'anatomie pathologique.* T. I.

(2) *Allg. Anat.* Bd. I. S. 308 übers. v. Pfaff.

(3) *Op. cit.* §. 146.

(4) *Entw. ein. spez. Ther.* 807. Bd. I. S. 203. über die jetzt herrschende Typh. Bamb. 813.

licet typhum abdominale esse inflammationem gan-
 glijum abdominalium, ganglionitidem. Jam Auten-
 rieth in cadaveribus nonnullis hominum typho mortuo-
 rum ganglia mutata se invenisse contendit. Duo ab hoc
 observata exempla nobis retulit Elsaesser (1), quorum
 unum puellam amplectitur undetriginta annos natam,
 postquam typhus eam denuo affecerat, mortuam. Se-
 ctione cadaveris instituta, plures nervi, glossopharyngeus,
 accessorius Willisii aliqua ex parte rubebant, nervus
 vagus autem usque ad medium collum inde ab origine
 intense erat ruber, quasique inflammatus, quin tela cel-
 lulosa sanguine esset infiltrata; color ruber substantiam
 nervi ipsius penetravit. Nervi sympathici ganglion su-
 perius eo loco, quo exeunt nervi molles, loca paullulum
 albiora ostendit, et pars thoracica aequae ac nervi splanch-
 nici majoris radices rubebant. Huic sectioni respondet
 observatio Reilii (2), qui dicit: ex cadavere hominis
 typho perempti, qui eminente nervorum passione erat sti-
 pitus, nervos excidebam sanguinolentos, eosque corro-
 dibam acido nitrico; sed pro colore flavo-fusco sordi-
 dum obtinebant, quoniam sanguis intimam medullam pene-
 traverat, eamque suo colore infecerat. Alteras mutatio-
 nes systematis nervosi abdominalis potissimum ac visce-
 rum observavit Autenrieth in juvene ac puella typho
 gastrico emortuis: nervi utriusque lateris a plexu solari
 systema chylopoëticum emissi, colorem exhibuerunt
 sordido-rubrum.

(1) Diss. de natura parotidum malignarum in morbis acutis.
 Haes. J. H. Autenrieth, auct. J. A. Elsaesser. Tüb. 1809.

(2) Exercitationes anatomicae de structura nervorum. Halae
 1809. pag. 20.

Morgagni quoque in cadaveribus hominum typho peremptorum nervos inflammatos sanguine valde repletos et interdum extensos esse, observatos commemorat (1). Multi alii, Goeden (2), Dzondi (3), eandem amplexi sunt sententiam; praecipue autem inflammationes gangliorum abdominalium in cadaveribus hominum typho mortuorum Schoenlein observavit.

Ipsa, quod scio, nusquam sententiam suam de typhi abdominalis natura protulit, eo magis commemoratione digna sunt, quae ejus discipuli nobis retulerunt. Cf. Geigel diss. inaug. de gangliorum typho. Wirceburgae 1826. Jahn, ejusdem discipulus, haec dicit: »morbi sedem esse systema gangliorum, in promptu est: plexus gangliorum, solaris potissimum et meseraicus superior, tumidi atque crassescentes, sanguine impleti, duri, ruberrimi sunt inventi (4). Gielt in sectionibus febris nervosa defunctorum pluribus ganglia, plurimum plexum solarem, hepaticum et splenicum indagavit, comparavit et in nonnullis mutatum invenit. Illi reti vasculoso erant inducti, quod in tota gangliorum superficie proxime sedebat ac venularum ex injectione, quae cum meningum congestionibus posset comparari, constare videbatur. Interdum haec injectio in parte inferiori nonnisi est inventa. Ipsa ganglia erant aliquanto crassiora, duriora

(1) De sed. et morb. epist. Lib. XX, §. 10.

(2) In Hufel. u. Harless Journal für prakt. Heilk. Jahrg. 1816. St. 1.

(3) Ueber d. Nerv. Fbr. zu Halle. In d. allg. Litt. Zeitung. Januar 1814.

(4) Jahns und Hohenbaums mediz. Konversationsblatt. Jan. 1831. No. II. S. 15—16.

Substantia eorum fuscior, sed vascula in eam nequaquam penetrabant. In uno casu nervos e plexu solari ad ventericulum transeuntes vidit crassiores atque unus arteriae coeliacae diametrum fere tenens, fuit nodosus, tanquam vitibus quater usque quinquies esset circumvolutus et contractus. Nonnunquam plus emergunt istae mutationes in plexu hepatico vel splenico, quam in coeliaco. Schoenlein ingeniosissimus, symptomata nervorum abdominalium in istis febribus considerans, primum in cadaverum extispiciis sagaciter est rimatus, atque propterea typhum gangliorum typho cerebri oppositum constituit — attamen quaesitio non directa est, utrum iste status nervosus e nervorum intestinalium pathemate primitivo sit ortus, an illi in morbi decursu nonnisi corripiantur (1). Balling enarrat, in clinico Wirceburgensi fere semper in typho abdominali plexum coeliacum et meseraicum superiorem maturo obitu incrassatum, sanguine venoso impletum et solito duriorum esse inventum, quin etiam saepius, praecipue si mors citius evenerit, crassum, durum cartilagini aequalem (2). Eadem eadem legimus apud auctorem ejus libri, cui nomen Schoenleinii est inscriptum (3). Gobée, dum enumerat mutationes in cadaveribus hominum typho interemptorum observatas, ita pergit: »non silentio praereundus plexus solaris, quem studiose semper indagavi in novem de decem casibus reapse inflammatum, ejus-

(1) Diss. cit. §. 29.

(2) Dr. Balling über den typhus abdominalis in d. Heilb. klin. Annalen. Bd. VI. Heft 2. S. 290.

(3) Specieller Path. u. Ther. nach Schönleins Vorträgen. Bd. II. S. 37 und 38.

dem ganglia tumida et crassitie adaucta reperi. In pluribus ejusmodi gangliis cultro anatomico tractatis et horas viginti quatuor aqua suffusis ruborem immutatum distinguere potui« (1). Schneider observationibus minus quam opinionibus suis nisus hac de re ita loquitur: »itaque sedem atque causam typhi, quem dicunt, sporadici, inflammationem esse totius systematis gangliosi puto, qua omnia ejus symptomata accurate explicari possunt« (2). Buzorini in quatuor hominibus typho mortuis ganglia mollia et in tribus rubra invenit (3).

Comparatis hisce observationibus, jam sequitur, naturam typhi abdominalis ganglionitidem esse non posse. Si enim haec sententia esset vera, ganglia semper et absque ulla exceptione in cadaveribus hominum typho mortuorum inflammata inveniantur, necesse est. Nemo vero eorum, qui inflammationem gangliorum causam hujus morbi habent, illud contendere ausus est. Schoenlein modo saepius ganglia in cadaveribus reperisse rubra, in libris supra commemoratis enarratur. Eadem fatetur Gobée, dicens: in dissecando cadavere majores nervorum plexus intestinales non semper incensos reperi, nihil adversatur, quum non subsit semper inflammatio vera, legitima, sed irritatio saepe inflammatoria tenuissimorum membranae mucosae nervorum propage-

(1) Diss. de ratione mutua, quae phlegmhymenitidem entericam nervique sympath. etc. Bonnae 1831.

(2) Ueber den sporad. Typhus u. d. Wechselfieber als Krankheitsformen des Gangliensystems v. Schneider in den mediz. prakt. Adversar. etc. 3. Lieferung. Tüb. 1826.

(3) Grundzüge einer Path. u. Ther. d. psych. Krankheiten mit Rückblick auf die bisher bestandenen Lehren v. Ludw. Buzorini. Tüb. 1832.

er ad nervos majores; quo accedit adhuc, his observationibus fidem magnam habendam non esse, quum jam Illbers (1), multa hac in dissertatione esse scripta, quae facta non essent, haud dubie maximo jure adnotata. Similiter Ploucquet: non satis, ait, esse diremendum, an et quatenus status typhosus cum vera ganglionum inflammatione congruat (2). Autenrieth modo nonnullis in casibus nervorum abdominalium mutationem invenisse contendit. Ipse enim dissertationi cuidam addidit notam hanc: typhus non semper et necessario cum aliis statibus neuroparalyticis conjunctus videtur, et hic multa cadavera sunt aperta, in quibus ganglia non inflammata sunt inventa (3).

His adhuc adjungam illud, quod Andral illustris hujus aetatis anatomiae pathologicae cultor hac de re observavit, dicens: les centres nerveux de la vie organique ont été examinés par nous dans un assez grand nombre de cas. Deux fois seulement ils nous ont présenté une apparence d'alteration — c'était chez deux individus qui moururent avec un ensemble de symptômes ataxo-dynamiques très prononcés; les ganglions semilunaires étaient remarquables par leur rougeur. L'un de ces

(1) Beleuchtung zweier Meinungen vom Wesen des Abdominaltyphus des nervösen Schleimfiebers, d. fièvre gastroentérite etc. *Horns und Nasses Archiv f. mediz. Erfahrung* Jahrg. 32. pag. S. 993.

(2) Diss. sistens expositionem typhi nosologicam, Tüb. 1800. pag. 16.

(3) Diss. de utilitate hydrargyri in feбри typhode inflammatione auctore Löhnes. Tüb. 1814. Sammlung mediz. prakt. Dissertat. aus Tüb. 2. Samml. Tüb. 20.

individus avait éprouvé pendant les dernières quarante huit heures de son existence une violente trismus et une roideur comme tetanique des membres thoraciques. Nous n'oserions pas affirmer que dans ces deux cas la rougeur des ganglions semilunaires fut un état morbide; car des recherches bien souvent répétées nous ont appris, que ces ganglions ont une teinte très variable en raison du genre de mort et de la quantité de sang, qui remplit les divers réseaux capillaires (1).

Econtra multi sane exstant auctores, qui se nunquam, neque in typho, neque ullis aliis in typhum mutatis morbis exanthematicis, ganglia abdominalia rubra invenisse contendunt. Lobstein se nunquam ganglia in morbis exanthematicis inde etiam in typho inflammata vidisse perhibet, dicens l. cit. pag. 151. Idem auctor (Autenrieth) asserit, se aliquantisper mutata reperisse ganglia in cadaveribus hominum typho mortuorum, id quod nullo modo observationibus meis confirmare possum. Haec dissimiliter Puchelt, se nervos abdominales et potissimum plexum solarem nusquam mutatos invenisse dicit (2). Albers in gangliis abdominalibus eorumque ramis nunquam praeternaturale quidquam deprehendit (3). Iste ad probandam hanc quaestionem, ubicunque occasio cadaverum hominum typho mortuorum aperiendorum ei est oblata, ganglia nervosque abdominales accuratius est contemplatus, neque unquam eos aliquo

(1) Clinique medicale Tom. III, S. 592.

(2) Puchelt, das epidem. Fieber, welches in Heidelberg besonders im Sommer 1826 herrschte. Heidelb. Clin. Annalen Jahrgg. 1827. S. 199.

(3) Albers in seinen Darmgeschwüren. Leipz. 31. S. 319.

modo mutatos observavit (1). v. **Pommer** pluries typhum morbum epidemicum observavit, permultasque sessiones hominum hoc morbo peremptorum instituit, neque unquam nervos mutatos se reperisse confitetur, ait enim (2): rarissime morbose affecta sunt reperta cerebra atque systema nervorum; etiamsi enim singula viscera aut thoracica aut abdominalia mutata esse luculenter apparuit, nunquam haec mutatio neque nullam nervorum aut ganglia plexus solaris, ganglia thoracica, neque originem, quam dicunt, nervorum cerebralium aut substantiam cerebri ipsius attigit. Unde videtur, sectionum eventus aequales fuisse iis, quos praevalerint inquisitiones anatomicae pathologicae antea in praeparationibus typho peremptis institutae (3). Jam ex nonnullis annis in clinico instituto Bonnensi, suadente Cel. Prof. **Nasse**, semper, quoties sectio hominis typho decessit instituitur, ganglia abdominalia accuratius sunt investigata et ipsi mihi interdum summa ejus erga me benevolentia occasio ejusmodi est oblata; at nunquam unquam gangliorum alienationem inveni. **Louis** (4), **Neu-**

(1) Derselbe im oben erwähnten Aufsätze in **Horn's Archiv.**

(2) In seinen Beiträgen zur Natur- und Heilkunde. Erster Band IV. Geschichte eines epidemischen Fiebers, welches im Sommer 1829 in der Garnison Heilbronn herrschte. S. 514 u. 15.

(3) cf. Beiträge zur näheren Erkenntn. des sporadisch. Typhus und einiger ihm verwandter Krankheiten gegründet auf Leichenöffnungen. Tüb. 1821. Ferner Heidelb. klin. Annalen 1826. Die chirurg.-mediz. Zeitung 1828. und endl. Beobachtungen über die Reueugnisse des genius epidemicus vom Frühjahr 1828—29 in meinen Beiträgen zur Natur- und Heilkunde. Bd I. III.

(4) Anatom. patholog. u. therapeut. Untersuchungen über Gastroenteritis, übersetzt. Würzb. 1830.

mann (1) aliosque nervorum aut investigationes omisisse, aut nullam earum mentionem fecisse, valde lugeo; at silentium illud, nonne eos nullam gangliorum mutationem reperisse, probat? Hoc satis inde intelligitur, nervum sympathicum non semper in typho abdominali mutari; saepissime enim absque ulla alienatione, quae sensibus quidem submitti poterat, ille est inventus. Si adhuc detrahitur id, quod conditioni fortuitae mortis, putredini et congestioni sanguinis ad partes inferiores est imputandum, numerus mutationum, quae in cadaveribus hominum typho mortuorum re vera sunt inventae, plexus coeliacus ejusque gangliorum valde imminuitur. Facile rubescere ganglia in cadaveribus, quae per quadraginta horas in dorsum decubuerint, saepius diligentes anatomiae pathologicae cultores observarunt. Ex quibus sequitur, non semper symptomata typhi abdominalis e gangliorum affectione deduci atque explicari posse, quum ganglia non semper patiantur; aequae ac ganglionitidem causam hujus morbi haberi non posse.

Si ganglionitis re vera esset typhi abdominalis causa, morbus iste localis, ad quem haec illave vel communia vel aliorum organorum symptomata localia referre volumus, omnia haec symptomata producat, necesse est. Ad probandam hanc sententiam investigandum nobis est, quinam casus aut symptomata irritationem atque inflammationem gangliorum comitentur: morbi ejusmodi causae typhi abdominalis habentur. Experientia et observationes ad rem illustrandam in hominibus

(1) Ueber Darmgeschwüre in typhösen Fiebern. Hufel. Journ., März 1827. S. 103.

tud facile possunt institui, et haud scio, an iis omnis
 libitatio tollatur: quam ob rem experimenta in vivis
 animalibus ad illud, de quo sermo est, probandum in
 auxilium vocanda. Ipse saepius in animalibus ganglia
 irritandi et inflammandi feci pericula, sed frustra
 peravi, fore ut aliquid deprehenderem ad rem quaesi-
 tum illustrandam; quam ob rem aliorum observationi-
 bus utar, necesse est. Experimentum ejusmodi nobis
 offert Albers in commentatione supra laudata: cuniculo
 venter abdominale apertum, intestina remota et ganglion
 semilunare est nudatum. Contactum ac distorsionem
 simplicem hujus ganglii nulla symptomata sunt secuta.
 Ablutione cali caustici adhibita, animal est perturbatum;
 quinque minutis post tetanus est exortus, qui brevi
 transiit in Opisthotonum, eoque modo animal est mor-
 tuum. Longo interposito temporis spatio cor adhuc
 palpavit, respiratione abolita, neque electricitas postea
 ganglio semilunari admota tetanum, cum semel cesserat,
 invocare potuit. Symptomata ista irritatione et inflam-
 matione producta hoc solum probant, irritamenta tam
 vehementia, quam in experimento descripto usi sunt,
 tetanum sequi posse. In duobus aliis experimentis, orto
 tetano Albers tendines animalium distorsit, quo facto
 ea ejulabantur; ex quibus sequitur, animal conscien-
 tiae plane compos fuisse, quamvis ganglia jam per lon-
 gum tempus in conditionem vehementis irritationis es-
 sent conjuncta. Quanti momenti sint ista experimenta,
 tum primum cognoscitur, si cum istis comparamus, quid
 gangliorum morbis et de eorum inflammatione prae-
 cisis experientia doceat. Lobstein nonnulla hac de
 collegit.

Virgo honesta moribus egregiis a pubertatis anno spasmodicis atque hypochondriacis symptomatis obnoxia bis apoplexiam incompletam passa, ex qua paralysin imperfectam retinuit in latere dextro faciei, viro nupta fuit, quum quadragesimum secundum aetatis suae annum esset praetergressa. Gravidam decimo quinto mense matrimonii ab octava gestationis hebdomade adorta est aerumnarum series, quibus aegrotans dirissimis sub cruciatibus demum occubuit. Vomitus videlicet, graviditatis notissimum symptoma, miseram quovis die plus quam trigesies ita vexavit, ut per tres menses omnia ventriculo ingesta statim ejiceret, et quamvis omnia fuerint tentata, quae vomitum inhibere debebant, tam intus adhibita, quam extus applicata, tamen ultimis vitae septimanis, ne gutta quidem aquae deglutita in stomacho remansit et frequentissimis vomitibus fauces atque oris interiora primum inflammata deinde sphacelo correpta foetidissimum spargebant odorem. Digni ipsi, quos aegrotans ori nonnunquam immittebat, a sanie putrida fuerunt erosi. Symptoma vero omnium molestissimum dolor erat urens ad columnam vertebralem ac in imis hypochondrii dextri partibus, qui corpus vario modo torquebat, atque jactatione perpetua die noctuque protrahere, vires exhauriebat; neque alio modo sublevari aliquantisper poterat iste dolor, nisi per frictiones siccas primo manus, postea peniculi ope exercitas, quae autem ultimis temporibus adeo repetitae fuerunt, ut tota cutis excoriaretur. Tandem sub teterrimi marasmi symptomatis animum efflavit miseranda. Summa cum diligentia cadaver ille aperuit quadraginta octo post mortem horas. Cranium justo minus ei apparuit, quamvis inge-

ti dotibus non careret ista femina. Sublata calvaria,
 illud praeternaturale reperit in cerebro, quod summo cum
 studio examinavit propterea, quod per totam fere vi-
 tam ab insultibus cephalaeae occipitalis ita erat vexata
 mulier, ut immanis dolor non nisi continuata manuum
 pressione externa per horarum spatium protracta, adju-
 vantibus majoribus opii dosibus, sublevaretur. Nec de-
 cenni chronici causam organicam, quod per sat longum
 tempus somnum turbaverat, in encephalo detegere po-
 tuit. Collum defoedatum erat struma, morbi genere
 regionibus illis admodum familiari, quae vero nullam
 pressionem noxiam in vasa exercebat sanguifera. Pe-
 ctoris organa in statu erant perfectae sanitatis. Ventri-
 culus, quem vomitus nigri gangraenosum mihi pronun-
 taverant, nulla affectus erat labe organica, nec reliqua
 intestina neque organa uropoëtica mutationem ullam stru-
 cturae monstrabant. Hepar solum erat viscus abdominale
 quod marcidum esset, atque colorem lividum offerret.
 Perus in quinto graviditatis mense constitutus nil mor-
 tui ostendit praeter tumores aliquot fibrosos ejusdem
 substantiae innatos, juglandis nucis magnitudine. Cervix
 uteri dura et orificium ejus externum perfecte clausum
 manipulationes vetabant, quas tentare voluerat ad abor-
 tum consulto excitandum, ut causa tolleretur vomitus
 continui. Foetus erat sanus et situ naturali conspicuus.
 In motis omnibus visceribus, in ganglia inquisivi semi-
 naria, quorum exsectorum indolem atque statum in
 amphitheatro anatomico est perscrutatus. Non quidem
 alienam mutata erant substantiam, sed colorem prae-
 sentant intense rubrum, qui a viris peritis anatomiae
 omnibus cultoribus, quibuscum iste hanc observationem

communicavit, pro vera ac genuina inflammatione agnoscebatur. Ea inflammatio adeo erat pertinax, ut ganglia, per triduum aqua infusa, parum pallescerent. Pars ejusdem superior laete erat rubra, inferior vero, e qua rami emergunt mesenterici, lividiorem habebat colorem. Nervus splanchnicus ante suum in ganglion ingressum multo latior ei apparuit.

Idem cadaver incidit puellae sex annorum tussi ferina correptae, quae per metaptosin primum in vomitum spasmodicum per triduum durantem mutabatur, postremo vero in convulsiones degenerabat clonicas nulli artis adminiculo cedentes. Hujus puellae invenit partem plexus solaris sinistri totam inflammatam, dum dextra non recedebat a statu naturali. Quo certior vero fieret, loco rubedinis forte accidentalis veram adesse inflammationem, per aliquot dies plexum istum in aquam puram immisit, quo factum est, ut sublato licet inflammationis, quod a colore pendet, signo, tamen flavedo subsisteret in parte affecta, quae non deprehendebatur in altera sana, quae res testatur, hic aliquam alienationem affuisse. Incassum inquisivit in convulsionum causas, dum encephalon istius cadaveris examinabat, quippe quae absque dubio symptomaticae tantum fuissent, reactione scilicet plexus solaris morborum in cerebrum productae. Jam celeberrimus Prof. Autenrieth cadaver lustrans puellae tussi ferina enectae, nervum vagum reperit inflammatum in toto decursu per thoracem. Ejusdem neurilema eleganter erat pictum et pulpa nervea colorem ostendebat rubrum impurum. Nervi cardiaci tum et nervus sympathicus in pectore inclusus alienationem quandam passi erant.

Relatas accepit Lobstein binas morborum historias, quae gangliorum semilunarium inflammationem luculenter ostendunt. Prior de viro agit quadraginta septem annorum, cui per amputationem ablatum fuerat tumor fibroso-cartilagineus, spinae dorsi laxae adhaerens. Post duorum annorum intervallum secunda vice nosocomium petiit aeger, efflagitans, ut alius tumor, mai ipsi supervenerat, excideretur, cujus summa cutis inflammata erat atque ulcerata. Sumto prius purgante eodemque momento refrigerium passus tempore pluviali mensis Octobris statim trismo fuit correptus et opisthotono, qui post duorum dierum spatium mortem paraverunt, omnibus medicamentis incassum adhibitis. Aperto cadavere nil detectum est, nisi 1) rete vasculorum sanguine impletum in superficie medullae spinalis seri effusi copia intra saccum a dura matre efformatum; 2) inflammatio gangliorum semilunarium admodum distincta. — Altera morbum comprehendit mulieris viginti sex annorum, quae in secunda graviditate vomitioni fuit obnoxia per totum gestationis tempus. Substitit iste post puerperium, aut mitior saltem factus est herpete furfuraceo in pectore et brachiis enato. Ad istum statum morbosum postea intumescencia phlogistica genu sinistri accedebat et diarrhoea, qua superveniente profligabatur vomitus tam pertinax et per tres annos continuatus. Tandem exorsa est febris hectica, quae vires exhauriendo lentum exitium intulit mitterae isti feminae. Cadaveris incisio membranam villorum ventriculi ostendit inflammataam justoque spissiore, praecipue versus pylorum, et ganglia semilunaria gemina phlogosi correpta.

Swan (treatise on diseases and injuries of the nerves new. edit. pr. 315) plures casus nobiscum communicat, quibus cadaveribus dissectis ganglia abdominalia vasculis repleta, rubra sunt inventa, quin alia symptomata essent observata ac illa calculi simul reperti renumque degenerationis. In tribus aliis observationibus bis vomitus aderat. cf. S. 304. 302. 312.

Observationes hucusque relatae duo ostendunt phaenomena, quae constanter inflammationem gangliorum comitari videntur, et quidem (1) spasmos clonicos et tonicos, quos dicunt, qui saepissime vicissim accedunt, et in ganglionitide varium solum morbi gradum referre videntur. Inflammatio enim vehemens trismum ostendit atque tetanum, levior contra morbi gradus spasmos clonicos, ad quos referendus est ille quoque constans vomitus. Secundum symptoma est conscientia, cujus et animalia in experimentis et homines, in quibus gangliorum inflammatio observata est, plurimum erant compotes usque ad mortem. Minus constanter dolores in regione ventriculi et vertebrarum dorsalium diffundebantur. Causa hujus conditionis plane diversa, neque alter casus alteri aequalis: refrigerium, graviditas aliaeque causae ad spasmos disponentes in nonnullis casibus nominantur. Pneumatosis ipsa, quam Lobstein in libro saepius memorato symptoma morbosorum gangliorum nominat, in his inflammationis casibus non reperitur. Casus ipsi, quanquam sufficientem morbi imaginem minime nobis offerunt, symptomata gravissima comprehendere videntur; imprimis isti cum experimentis circa viva animalia institutis, quorum supra mentionem feci, congruunt. Sensilitatem intactam esse atque reactionem

in irritamenta externa, omnibus et experimentis et observationibus probatur; animalia enim, quotiescunque aut nervos aut tendines persecuimus, ejulabantur, quin etiam in nonnullis observationibus kali caustico iterum et iterum plexui solari admoto, perturbata sunt. Neque spasmi tonici kali caustico paulo post adhibito redibant neque ullo in casu plane absuerunt et semper animalia, cum signa tetani sese praebuerunt, prius mortua sunt, quam ceteroquin cavo abdominali aperto moriebantur. Sin autem symptomata, quae e gangliorum inflammatione sunt derivanda, comparamus cum illis, quae typhus abdominalis nobis exhibet, ea re vera non modo non aequalia, sed plane diversa esse inveniemus, et vix intelligi poterit, quo modo fieri potuerit, ut typhi abdominalis symptomata ganglionitidi tribuerent.

Dothienteritis plerumque initio symptomata febris gastricae praebet, videlicet appetitus ciborum desideratur, vomitus ac nausea simul cum molestiae, languoris et artuum dedolationis sensu vexant agrotos, quin etiam capitis dolores, vertigo, defectus denique virium adduntur. Alvus irregularis, aut cita, aut plerumque restricta, somnus inquietus, brevis, somniisque turbatus anxiiis, tumultuosis. Faciei color modo rubicundus, interdum etiam sordidus atque pallidus apparet; oculi autem hebescent, rarius etiam natant. Symptoma autem insignius et fere characteristicum est linguae conditio, quae, mucoso aut glutinoso tegmento, exceptis marginibus tumescentibus, puris, oblecta esse solet, e quo papillae linguales passim eminent; pulsus acceleratus et normali longe frequentior, aliquantulum tensus, non fortis aut durus. Per dies, vel adeo per hebdomades haec

morbi conditio persistere potest, donec horripilationes quasdam insecuta febris continua remittens exoritur, quae non semel, sed bis, vespere scilicet et mane, increscit; quam conditionem capitis dolores vehementiores, vertigo, somnolentia, vultus anxius, sitis vehemens, fastidium, cutis denique ardens, comitantur. Urinae secretio plus minusve turbatur, plerumque natura est serosa, pellucida, normalem praebet colorem; sin vero inflammationis symptomata clariora apparent, rubere solet. Raro tantum morbi initio vehementes ventris dolores aegri queruntur, et si adest dolor, vagus modo hunc modo illum sibi eligit locum; deinde in regione iliaca dextra immobilis haeret. Obstructio alvi pertinax, ubi morbus ab ea incepit, in profusam diarrhoeam subito mutatur; ventre paullulum tumefacto atque molli, alvus antea adstricta, aquosa aut mucosa fit, ejiciturque diluta atque flava materies, quae brevi tempore in sedimentum faeculentum et humorem pellucidum flocculis mixtum dividitur. Morbo increcente vires tam celementer et tantopere consumuntur, ut aegrotus lectulum relinquere nequeat. Febris exacerbationes et vehementiores fiunt et longiores, ita ut una ab altera fere excipiatur. Interdum hocce iam tempore exanthema apparet maculae purpureae a pectore ad extremitates superiores et abdomen vergentes. Deliriorum soporisque tempus paullatim producitur, e quibus tamen aegrotum alloquendo suscitare licet. Jactant aegroti brachia et crura, aut tranquilli, oculis semiapertis, statu quodam soporoso supini cubant, nec sine magna virium contentione sese erigere queunt, facile in infimum lectum ad pedes delabuntur. Accedit etiam baryoecia, ut saepius

magna voce aegrotus appelletur, necesse sit, quo, quid velimus, percipiat.

Pulsus frequentia atque celeritas augentur, ipse saepius intermittit. Lingua arida, scissilis, scabra, cuticulis fusco-fulgentibus est oblecta, nonnunquam etiam pura, magnamque crudae carnis similitudinem prae se ferens. Tanta autem est linguae imbecillitas, ut non sine labore aegrotus eam protendat, protensamque retrahere saepe obliviscatur. Dentes, labia, cavitas oris sordido mucositate atque fusco obteguntur, cujus tanta est tenacitas, ut, si os aperitur, complura fila mucosa diducantur. Cutis ardor admodum est adauctus atque morbillosus, potissimum deliriorum tempore, nares aere sitisque augetur. Quando ad summum incrementum pervenit, in lectulo sese erigere aeger nulla ratione potest; alvus copiosa ex rubro-albescens mirum in modum adaugetur; urina antea serosa nunc rubescit atque turbatur; utraque excretio jamjam aegroti inscio sponte succedit. Febris ad eum vehementiae gradum evehitur, ut pulsuum actus vix possint numerari; praeterea sunt debiles, minores, paullo tensi, nec raro irregulares et intermittentes; oculi hebetes et semi-aperti esse solent, aegroque in regione ossis sacri cutis decumbendo plerumque ulceratur. Meteorismus manifesto adest. Respiratio antea jam impedita fit stertorosa; subsultus tendinum adesse, aegrique illoccos legere et inter symptomata spastica nunc meliora nunc vehementiora et soporem perdurantem morbo obire solent.

Morbi in meliorem conditionem mutatio, quae, nisi morbus ad nimium vehementiae gradum processerit, saepe raro observabatur, nunquam crisi solemni, sed ple-

rumque symptomatis sensim ac pedetentim remittentibus efficitur. Alvus rarius, bis terve singulis diebus, deponitur, interdum tarda non nisi clysmatibus duci potest. Deliria continua soporque remittuntur, una cum abdominis doloribus, somnus redit, qui, ut in delirio tremente, symptoma criticum hujus quoque morbi est habendus. Eodem more alia symptomata, dolores capitis, vertigo, fervor atque sitis imminuuntur. Lingua humescere incipit, mucus ille subfuscus atque sordidus resolvitur, fuscaeque crustae a labiis delabuntur. Tardius baryoecia cedit, urina pallida subflavum habet sedimentum. Maculae evanescent et epidermis desurfuratione solvitur. Pulsus quanquam celer et frequens, non tam irregularis quam antea deprehenditur. Fere semper magnum ciborum appetitum paulatim sanitatis restitutio consequitur.

Ex hac descriptione typhi abdominalis sequitur, hunc esse statum morbosum, in quo symptomata febris inflammatoriae jam ab initio sint mixta cum illis febris nervosae, et haec ab illis quasi obscurentur, quod vertigo, magna lassitudo, tristitia, stupor, insomnia continua cum pleno rubro et robusto habitu, pulsu saepius tenso, duriusculo, in universum turbatio illarum actionum, quae cum cerebro arctissime sunt conjunctae, probant. Huc accedunt multa communia, febris, maculae, contagio, desquamatio etc., quae in ganglionitide non reperiuntur. In gangliorum inflammatione conscientia integra, febris minus vehemens, saepius vomitus et dolor in regione dorsali, celer morbi exitus in lethum, trismo, tetano atque opisthotono orto. Re vera haud facile intelligi potest, quomodo fieri potuerit, ut causa

proxima typhi abdominalis in ganglionitide, aut conditione huic simili, poneretur; omnis ganglionitidis ignominatio sola ad tantum errorem seducere potuit.

Typhi abdominalis causam proximam non esse gangliorum inflammationem, et non modo non status ei aequales, sed potius diversos, demonstrasse mihi videor; tum autem absque illa existere posse et re vera sine illa inveniri, multis observationibus ab auctoribus fide dignissimis relatis, probavi. Fortasse hic nobis quisquam objiciet: quamvis inflammatio plexus solaris non sit causa typhi abdominalis proxima, tamen aliorum plexuum aut nervorum abdominalium inflammationem causam praebere posse. Neque hanc inflammationem neque ipsius phaenomena hucusque ullus auctor ostendit. Aliter observationibus suis innixus hanc plexuum inflammationem negandam esse censet, quippe quam in novem cadaveribus non invenerit. Nonnulli nervi abdominales quidem inflammati sunt reperti, at symptomata praebuerunt plane diversa ab iis, quae typhum coartari solent. Spasmi, dolores vehementes et retentiones secretionum illorum organorum, quorum plexus erant inflammati, phaenomena constantia in his casibus se praebent. Non magis alii status chronici, ut intumescencia, aut induratio, aut ulla alia gangliorum et nervorum plexuum abdominalium degeneratio, causa proxima typhi haberi potest. Observationes supra commemoratae nulla ostendunt symptomata; at ipse casus in clinico instituto Bonnensi observatum memoratu dignissimum haud ignoro, in quo ganglia secundi, tertii et quarti nervi sacralis lateris sinistri tumores praebabant linearum crassitiei et texturae fibrosae formaeque

ovalis. Longum esset, omnia enumerare symptomata in isto aegroto observata: sufficiat hoc loco commemorare, symptomata plane diversa ab iis, quae typhus abdominalis ostenderet, hunc statum morbosum esse comitata, quem accuratissime descripsit Morris (1). Ex iis, quae hucusque sunt dicta, sequitur, neque inflammationis aut irritationis neque degenerationis gangliorum symptomata iis, quae typhum comitari solent, unquam esse aequalia.

(1) Diss. exhibens casum singularem morbi medullae spinalis et gangliorum nervorum spinalium etc. Bonnae 1827.

V I T A

Ego, **Michael Rey**, anno h. s. decimo sexto natus sum in pago Linden prope Aquisgranum, parentibus Antonio, et Margaretha e gente Bremen, fidei catholicae addictis, quam et esse confiteor. In schola publica eruditus per biennium fere scholis interfui Cl. Zimmermann, apud nostrates verbi divini ministri, quibus relictis, gymnasia, quae Marcoduri et Aquisgrani videntur, per sexennium frequentavi. Maturitatis testimonio munitus anno MDCCCXXXIV. almam universitatem Fridericam-Guilelmam Rhenanam adii, cuius inter cives rectore Cel. Naeke receptus, nomen dedi decano spectatissimo ordinis medicorum Ill. E. Bischoff, quo facto per tres

annos et dimidium ibi commoratus audivi dis-
sidentes: de logice et psychologia Ill. v. Cal-
ker, de physice Beat. a Münchow, de che-
mia experimentali, de phytochemia et zooche-
mia Ill. G. Bischoff, de botanice generali Ill.
Treviranus, de zoologia Ill. Goldfuss, de
mineralogia Ill. Noeggerath. Encyclopaed-
iam medicam, pathologiam tum generalem tum
specialem nec non semioticen, morbos syphiliti-
cos mihi exposuit Ill. Albers, anatomiam uni-
versam, physiologiam Ill. Mayer et Ill. We-
ber, qui idem in cadaveribus dissecandis du-
ces mihi fuere. Therapiam generalem et spe-
cialem, morbos psychicos et anthropologiam Ill.
Fr. Nasse, materiam medicam Ill. E. Bi-
schoff, diaeteticen et magnetismum animale
Ill. Ennemoser, anatomiam chirurgicam, chirur-
giam, akiurgiam et doctrinam de fasciis rite ap-
plicandis Ill. Wutzer, artem obstetriciam nec
non doctrinas de instrumentis obstetriciis et de
ossibus fractis et luxatis, morbos mulierum et
infantum Ill. Kilian.

Praeterea duces mihi fuerunt in clinico me-
dico per annum Ill. Nasse, in clinico chirur-
gico per annum Ill. Wutzer et in clinico ob-

stetricio et in exercitationibus in phantomate instituendis Ill. Kilian.

Tempore paschali hujus anni civibus universitatis literariae Fridericae Guilelmae adscriptus sum Rectore Magnifico Ill. Boeckh, Decano maxime spectabili Ill. Wagner, quem per semestre aestivum de medicina forensi et politia medica, et Ill. Mueller de anatomia pathologica audiui disserentes. Praeterea scholis clinicis medicis Cel. Wolff, ophthalmiatricis Ill. Kuengken, et Policlinico medico - chirurgico Cel. Truestedt interfui.

Rei militari ut satisfacerem munere chirurgi militaris jam ex duobus mensibus duce Exper. Messer fungor.

Quibus viris, pro summis, quae in me con-
tulerunt, meritis maximas gratias et habeo et in
eternum habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et
medico, nec non examine rigoroso coram gra-
tissimo medicorum ordine absolutis, fore spero,
dissertatione thesibusque rite defensis, summi
medicina et chirurgia honores in me confe-
rentur.

T H E S E S.

1. Inter vitia et morbos bene distinguimus.
 2. Nullo in morbo vita est adaucta.
 3. Absque diagnosi nulla cura.
 4. Divisio exanthematum secundum cutis conditionem optima.
 5. Urina albumen continens non per se morbum renum indicat.
 6. Neque amputandi, neque aneurysmatis operandi methodus ulla optima.
 7. Graviditatem interdum nullo modo dignoscere possumus.
 8. In primiparis partus praematurus artificialis non instituendus.
-



